

teriorum: ergo non constituitur in esse indiuidui in suo predicamento per aliquid alterius predicamenti: consequentiam probabo: quia tunc esset ens per accidens, & aggregatum ex diuersis predicamentis, quod, vt sic, nullius per se predicamentum recipit: nam sicut de ratione in se falsa nihil dicitur vere: ex 5. Metaph. ita de ente per accidens nihil per se predicatur: nam de homine albo non dicitur per se album, nec rationale: igitur indiuiduum vnius predicamenti non potest per aliquid alterius predicamenti indiuiduari.

Ad primam pro quinta sententia.

Ad argumenta Thomistarum: Ad primum pro prima parte nego minorem: ad probationem: iterum nego minorem: quia talis incommunicabilitas non conuenit materie, vt est signata precesse, sed propter vltimam realitatem nature, ad quam sequitur talis signatio in composito, & paribus eius: nam quantitas, & reliqua accidentia non immediate subiunguntur in materia prima (maxime in op. nione istorum) sed in toto composito: & ideo signatio ad quantitatem prius intelligitur conuenire composito, quam paribus componetibus: Vnde cum composito competat ratione vltimae realitatis, etiam ratione huius competat materiae: & ita non conuenit illi per se primo incommunicabilitas, nec etiam, vt sit ratio talis incommunicabilitatis.

Ad secundum.

Ad secundum nego minorem: nam nec argumenta Doctoris soluntur; nec inconuenientia ex illis procedentia tollunt, vt vidimus. Ad vltimum respondebitur infra.

Ad vltimum.

Ad aliud pro secunda parte dico: quod esse accidentis non est inherens: nec repugnat duo accidentia esse in eodem subiecto: sed hoc illis dato (licet non concessio) adhuc argumentum non vrgentem ordo accidentis ad subiectum est singularis: ergo supponit accidens iam singularizatum: ergo non constituit illud in esse singularis. Praeterea: creet Deus accidens a subiecto separatum: tunc tale accidens non magis dicitur ordinari ad hoc subiectum, quam ad illud: ergo vel indiuiduabitur per ordinem ad vtrumque, vel per ordinem ad neutrum: non primum: quia esset duplex indiuiduum: ergo secundum: & intentum.

6. Conclusio.

Dicendum sexto, Principium indiuiduadi naturae communes, tam substantiales, quam accidentales, tam Physice, quam Metaphysice compositas, est vltima realitas in tra ordine predicamentale per se naturam ad esse indiuidui determinans. quae a Doct. subtr. Haecceitas nuncupatur: haec est eiusdem Doct. q. 6. & omnium suorum, contra Authores praecedentium opinionum: & quauis ex sufficiente aliarum refutatione probari videatur; nihilominus adhuc probatur primo: vnitas in communi sequitur entitatem in communi: quia vnitas est passio entis: ergo vnitas simpliciter; qualis est numerica; cum secundum omnes detur in rerum natura: consequitur maximam, & propriam entitatem: sed talis entitas non potest esse entitas naturae: quia haec in sequitur vnitas specifica: ergo necessario est alia entitas realis determinans naturam, & facies cum illa vnus per se indiuiduum ad predicamentum per se pertinens: sed talis entitas non est materia, nec forma: nec realitas generis, aut differentiae: quia haec non indiuiduantur per se primo, sed ad indi-

uiduationem totius, de cuius principio indiuiduationis loquimur: nec etiam est quantitas, nec aliquid aliud, ex praecedentibus: ergo necessario erit haec entitas, quam assignamus.

Secundo. Omnis differentia differentium reducitur ad aliqua primo diuersa (alioquin non esset status indifferentibus) sed indiuidua proprie differunt: quia sunt diuersa aliquid idem entia: ergo eorum differentia reducitur ad aliqua primo diuersa: sed haec primo diuersa, non est natura specifica, in hac enim conueniunt: & quod est causa conuenientiae formalis, non est causa distinctionis realis, nec sunt negationes, aut priuationes: nec materia, nec forma, aut compositum: quia in his etiam conueniunt: nec est aliquid accedens ex quinta conclusione: ergo relinquitur quod sit vltima realitas compositum.

Vlt. conclusio.

Dicendum vltimo: haec entitas determinans naturam ad esse indiuidui est per se primo singularis, & indiuisibilis in partes subiectiuas: estque primo diuersa a quacumque Haecceitate alterius indiuidui: pertinetque ad predicamentum indiuidui, quod constituit: ac tandem in naturis compositis, tam Physice, quam Metaphysice, non sumitur a forma, seu differentia: sed a tota natura. Haec quoque ad omnes quatuor partes est Doct. vt supra: & quoad primam probatur: notando: quod tripliciter dicitur aliquid singulare: per se primo, vt Haecceitas: per se non primo: vt Petrus: per accidens, vt natura humana contra: et tunc sic: illud est per se primo singulare, quod per se primo constituit indiuiduum indiuisibile in partes subiectiuas: sed talis est Haecceitas: igitur est per se primo singularis, & indiuisibilis.

Nota.

Secunda pars patet ex secundo argumento factum pro sexta conclusione: & patebit amplius ex secundi argumenti Caietani solutione: quam statim adhibebimus.

Tertia pars ponitur, vt Haerui quod lib. 3. q. 9. & Ioanis Bacho in 3. dist. 8. q. 2. art. 1. argumentis satisfaciamus: & probatur primo: singularitas est idem realiter cum natura, quae constituit, solique ab ea formaliter distinguitur: sed quae sunt sic idem, ad eandem pertinent Categoriae: igitur.

Secundo: indiuiduum est vnus ens per se positum in eodem predicamento suae speciei: ergo constituitur in esse indiuidui per aliquid sui generis: alioquin non esset vnus ens per se in recta linea collocatum.

Quarta pars huius conclusionis statuitur contra nostrum Fabrum asserentem, Haecceitatem desumi ab vltima realitate formae: & probatur primo, si Haecceitas sumeretur tantum a forma, v.g. in Petro, ab anima rationali: sequeretur; quod anima separata esset idem indiuiduum, sicut conuenit: hoc est falsum: igitur illud, ex quo sequitur: patet sequela: nam Haecceitas est idem realiter cum anima, & ab ipsa in separabilis: ergo tribuit animae separate suum effectum, qui est indiuiduare: nam forma naturalis, non impedita, agit secundum vltimam potentiam: ergo talis Haecceitas indiuiduabit animam: ac per consequens anima. Separata erit ita indiuiduum, sicut & Petrus: nam habet in se totum per se principium indiuiduationis.

Secundo: iuxta doctrinam ipsius Fabri Theophrasti 2. inter totum, & partes, non solum in com-

comuni, sed vt singularia sunt, datur distinctio realis: ergo totum, vt hoc singulare, habet existentiam realem propriam, distinctam realiter a partium existentibus: quia distinctio mere realis, secundum Doctorem in 1. distinct. 30. datur inter res existentes: sed existentia compositi singularis consequitur propriam ipsius Haecceitatem: ergo tale compositum est singulare propria Haecceitate distincta ab Haecceitate formae: nam aliter compositum non haberet propriam existentiam: ac per consequens a suis partibus realiter non distingueretur: quod ipse negat.

Sed contra arguit Fabrus: forma est, quae constituit rem in esse: quod autem dat esse, dat etiam distinctionem a quocumque alio, quod non est ipsum: cum ergo forma specifica constituat rem in esse specifico, & aduet materiam: & compositum resultat ex ea, & materia: ita dicendum est, quod vltima realitas formae sit ea, quae constituit in esse indiuidui, & actuet vltimam realitatem materiae: ex quibus duabus vltimis realitatibus resultat indiuiduum. Itaque forma, vt est quid commune, constituit naturam; vt vero est haec, & singularis, constituit indiuiduum.

Respondeo: verum esse formam dare esse specificum; ac similiter distinctionem specificam composito, cui tribuit esse, vt specie a quocumque alio distinguatur: cum hoc tamen negamus, hanc formam, vt est indiuiduum formae specificae, tribuere, vt sic, composito, esse singulare: nam haec forma singularis tantum distinguitur ab alia forma singulari, & non a toto alio composito: forma enim opponitur formae, & non composito: & ideo singularitas formae facit solum distinguere in ordine ad aliam formam: nam si distingueret compositum, cuius est forma, ab alio composito, etiam materia huius compositi faceret illud differre numero ab alio composito: quia materia etiam est singularis propria singularitate distincta a singularitate formae. Sicut igitur totum in communi componitur a partibus in communi, vt fatetur ipse Aristoteles. docet Doctor in 2. distinct. 3. q. 5. & in 3. distinct. 22. sic totum, vt in indiuiduum, componitur ex partibus indiuiduis, & singularibus: vnde sicut totum esse partium in communi transit in entitatem totius in communi, vt fatetur ipse Fabrus, etiam ipsae partes, vt singulares, transeunt in entitatem totius singularis: & ita Haecceitas totius, vel erit composita ex Haecceitatibus partium; vel si non sit composita, sed simplex, & indiuisibilis, saltem a toto composito dimanabit hoc ordine: nam in primo in statu intelligitur natura communis: in secundo intelliguntur propriae passionis: in tertio intelligitur Haecceitas, qua natura singularis redditur. Vide Doctorem in 2. dist. 16. consimilem doctrinam tradentem: nec oppositum vult quaest. 6. lit. G. vt explicat Tatarus ibidem.

Nota maxima.

Argumenta Thomistarum contra duas vltimas conclusiones. 1. Arg.

ra ipsius indiuidui: ergo natura indiuidui est singularis ante aduentum Haecceitatis: & ita Haecceitas non est principium indiuiduationis.

Secundum.

Secundo, illa, quae sunt principium indiuiduationis, sunt seipsa primo diuersa: Haecceitates Sortis, & Platonis, non sunt huiusmodi: igitur procho minoris: id, quod conuenit magis cum vno, quam cum alio, non est primo diuersum ab eo, cum quo magis conuenit: sed Haecceitas Platonis magis conuenit cum Haecceitate Sortis, quam cum Haecceitate Albedinis: ergo tales Haecceitates non sunt primo diuersae. Maior Prosyllogismi patet ex terminis: Minor probatur primo quia Haecceitates Sortis, & Platonis conueniunt in specie, Haecceitates Sortis, & Albedinis differunt genere: secundo, quia illa magis conuenit, quae magis assimilatur: magis autem assimilatur, quae sunt magis comparabilia: Haecceitates Sortis, & Platonis sunt magis comparabiles, quam Haecceitates Sortis & Albedinis: si cur vniuersaliter res eiusdem predicamenti sunt magis comparabiles, quam res diuersorum predicamentorum: igitur, &c.

Tertium.

Tertio, quod conuenit vni, & repugnat alteri indiuiduo eiusdem speciei, praerogit necessarium distinctionem ipsorum. Sed Sortes conuenit Sorti, & repugnat Platoni, qui est eiusdem speciei: ergo proprietates indiuiduales praerogit distinctionem Sortis, a Platone: & ita proprietates indiuiduales non est, quo primo Sortes distinguitur a Platone: conclusio est contra Scotum: praemissae sunt suae: maior in quolibet. Minor est eius conclusio: ergo ex seipso conuincitur falsus Scotus.

Quartum.

Quarto, haec propositio Scoti contradicit Peripateticis 12. Metaph. tex. 49. vbi fit haec consequentia: primum caelum, id est, primum principium, est vnum specie, & plura numero: ergo habet materiam, quae consequentia esset nulla, si principium indiuiduationis esset Haecceitas, & non materia: nec glossa Scoti exponeret per materiam principium indiuiduationis, aliquid valet: est enim destrudua textus: vt patet per Commentatorem ibidem, & per textus antecedentes, vt ex textu trigesimo constat.

Vltimum.

Vltimo arguit Sotinas 7. Metaph. q. 3. 2. ab inconuenientibus: primo quia stare positive Scoti sequeretur, quodlibet indiuiduum esse tria indiuidua, ratione Haecceitatis materiae, formae, & compositi: secundo quia forma vniretur materiae mediate alia realitate praeter realitatem formae: tertio quia materia separata a forma esset in actu formalis: quod est falsum, & contra ipsum Scotum, igitur, &c.

Ad primum.

Ad primum dico: quod si aliquid probat, est etiam contra ipsos, sicut & contra nos: ceterum; Maior est falsa: quia actus determinans aliquid indeterminatum non praesupponit illud determinatum, sed determinabile: rationale enim non praesupponit naturam humanam determinatam: sed tantum genus, quod determinat, & cum quo specie constituit. Pro quo notandum: quod actus est duplex, primus, & secundus primus, qui, & constituit dicitur, adhuc est duplex, vt quod, & vt quo: hoc posito dico: quod Maior est vera, de actu secundo: nam actus singularis producit a potentia singulari: est etiam vera de actu primo, vt quod: nam haec anima requirit hoc corpus, & haec forma haec materiam: at vero de actu singulari, vt quo, est falsa: Haecceitas enim con-

Nota.



stiuens indiuiduum non presupponit naturam singularem, sed singularizabilem.

Ad secundum.

Ad secundum dico: quod omnes vltimae realitates sunt primo diuersae in nulla realitate communi dicta in quid de eis conuenientes: & ita non magis conuenit vna cum alia, quam cum altera. Ad impugnationem dico: quod Haecceitas Platonis aequae diuersa est ab Haecceitate Sortis, & albedinis, quantum est ex conditione talis realitatis: quia ab omnibus aequae numero differt: & quamuis postea inter Haecceitates sit alia differentia specifica, vel generica, hoc nihil efficit: quia talis diuersitas non inest illis, vt vltimae realitates sunt, sed vt sunt sub diuersis generibus, & speciebus: & idem dico de similitudine Haecceitatum Sortis, & Platonis.

Ad tertium.

Ad tertium distinguo maiore: aut illud quod conuenit vni indiuiduo, & repugnat alteri, constituit rem, cui competat: aut supponit eam constitutam: Si primum: maior est falsitas nam rationale conuenit homini, & repugnat Leoni; & tamen non supponit eorum distinctionem; sed eam facit inter hominem, & Leonem: si secundum: minor est falsitas: nam Sortisitas non conuenit Sorti in suo esse constituto, sed illi constituit: Vnde maior apud Doct. intelligitur in secundo sensu: & ideo non sibi contradicit, vt conflat ex eodem quodlibet. C. nec Caietanus in hoc (sicut nec in alijs multis) illum intellexit.

Ad quartum.

Ad quartum dico propositionem nostram Peripateticam esse: & omnes auctoritates Philosophi, quae oppositum docere videntur, intelligendas fore de materia totius, vt glossat Scotus, & non de materia partis, vt sibi volunt Thomista: nec talis glossa debet illis videri textus destructiuus: nam apud Arist. frequenter quidditas forma appellatur vt patet 5. Metaph. cap. de causa: & 7. Metaph. cap. de partibus definitionis: quodlibet autem habens quidditatem contractam apud eundem materia dicitur: colligiturque vtrumque ex primo Caeli, & mundi text. 2. & 95. vbi sic habetur: Cui dico caelum, dico formam: cui dico hoc caelum, dico materiam: Vnde sicut differentia specifica, quia constituit rem in suo esse formali dicitur differentia formalis: ita differentia numerica, quia constituit rem in esse indiuiduali, merito dicitur differentia indiuiduali, seu materialis, imo & materia.

Nota.

Pro quo notandum: quod natura, quae contrahitur per proprietatem indiuidualem, potest dupliciter considerari: vno modo, vt quidditas est, & vt principium essendi alicui in esse quidditativo: alio modo vt ens determinabile, diuisibile, & contrahibile per vltiorem actualitatem: primo modo natura habet rationem actus, & formae: secundum quam considerationem dixit Aristot. cap. de causa vt supra: quod forma est quod quid est: & 7. Metaph. text. 35. appellat speciem quod quid erat esse, propter quod Commentator text. 34. vult: quod quidditas sit tantum forma, & non materia, quae secundum ipsum est deferens quidditatem: & sumpta hoc modo natura, proprietates indiuidualis ad ipsam comparata dicitur materia: & ratio est: quia materia opponitur reatiue formae: & cum proprietates indiuidualis sit primo diuersa ab omni quidditate, & ha-

beat esse oppositum naturae, vt communicabile: quia intelligendo aliquam naturam creatam, non intelligitur ipsa, vt aliquid indiuisibile, & incommunicabile: imo est contra: & proprietates indiuidualis concipitur, vt incommunicabilis: sequitur, quod ipsa est primo diuersa ab omni quidditate, seu esse quidditativo: ac per consequens si quidditas dicitur forma, proprietates indiuidualis, quae illi opponitur, appellabitur materia: quare Arist. 7. Metaph. text. 41. inquit: quod in quibuslibet substantijs, quod quid est, id est cum eo, cuius est: volens expresse, quod in substantijs compositis materia, & forma, includuntur in quidditate: & explicat de naso simo, & de curuitate: & statim subdit: quod quae cumque concipiuntur cum materia, non est idem quod quid est, cum eo cuius est: vbi per materiam non intelligit alteram partem compositi: talis sibi contradicere: ergo intelligit de materia, quae opponitur formae totius: At vero si natura sumatur secundo modo, vt determinabilis est, tunc Haecceitas appellatur actus, seu forma indiuidualis: & ita respectu diuersorum actus, vel materia, appellatur: quare optima & Peripatetica est glossa Doctoris sub.

Ad vlt.

Ad vltimum, & ad primum in conueniens dico: quod sicut compositum, ex eo quod includat materiam, & formam, non dicitur triplex substantia, sed vna composita: sic indiuiduum, ex eo quod habeat Haecceitates paritales, non dicitur nisi vnum indiuiduum totale. Ad secundum dico, non esse inconueniens: nam Haecceitas materiae est de intrinseca ratione eius, quatenus est haec, & singularis: imo implicat hanc formam vni huic materiae, nisi per Haecceitatem materiae, ad vltimum nego materiam separatam esse in actu formali, sed tantum in actu subiectiuo: esset enim tunc quoddam indiuiduum substantiae transcendentalis incompletum, & perfectibile per formam: & hoc non est contra Scotum.

ARTIC. VII.

An vniuersale sit ens?

Quamuis Doctor nulla circa hanc difficultatem referat opinionem oppositam suae conclusionis affirmantem: nihilominus circa eam potest esse prima sententia Mirandulani in expositione

1. Sententia.

Prædicamentorum, & Medici Valles controversia 9. ad Tyrones, & nostri Doctoris illuminati Francisci de Mayronis q. 7. quodlibet. (licet disputationis gratia ibi procedat) quae asserit nulla posse esse entia rationis: ac per consequens, nec vniuersale, quod si sit, necessario debet esse ens rationis. Probat per primo, si daretur ens rationis, haberet esse per potentiam apprehensiuam: sed quidquid habet esse per causam realem, qualis est talis potentia, est aliquid reale: ergo tale ens non erit rationis, sed reale: ac per consequens vniuersale pro formali non est possibile.

1. Arg.

Secundo, tale ens rationis aut est creatum, aut increatum: cum non detur medium: sed quidquid est creatum, vel increatum, est ens reale: ergo tale ens rationis, si sit possibile, erit ens reale: ac proinde si vniuersale pro formali sit possibile, vel erit ens reale, quod implicat, vel erit impossibile.

Secundum.

Secunda

2. Sententia Doctoris. 1. Nota.

Secunda sententia, & tenenda, est communis cum Doct. n. presentis: pro qua notandum primo, quod ens in sua prima diuisione diuiditur in ens reale, & in ens non reale, seu in ens rationis large: ens reale est, quod habet, seu habere potest esse, seclusa operatione alicuius potentiae operatiuae, seu quasi operatiuae: ens non reale, seu ens rationis large est, quod habet, vel habere potest esse per operationem potentiae operatiuae, vel quasi operatiuae: siue talis potentia sit cognitiua, siue appetitiua, siue motiua: quod quidem ens rationis, seu non reale, ita (claritate gratia) subdividendum existimo: ex subdivisione potentiarum, a quibus efficiuntur: vnde sicut potentia alia est operatiua proprie, & alia quasi operatiua, qualis est potentia motiua: & potentia operatiua, alia cognitiua, alia appetitiua: & vtraque alia intellectiua, & alia sensitiua: & intellectiua, alia formaliter & per se discutiuua, alia per participationem: ita ens rationis, seu ens non reale, aliud est absolute, quod habet esse a potentia proprie operatiua absolute operante: vt esse cognitum, esse visum, esse volitum, esse appetitum, esse imaginatum, & esse phantasticum: & reliqua, huiusmodi aliud est, quod habet esse a potentia motiua: vt esse dextrum, esse sinistrum: & quaecumque similes denominationes extrinsecae, quae possunt dici entia rationis per imitationem, eo modo, quo esse volitum in obiecto voluntatis appellatur a Doctore in 3. dist. 6. quaest. v. vnicam literam D. Ens rationis per participationem: & omnia entia rationis praedicta, & alia similia, dicuntur entia rationis absolute, seu derelicta: nam licet eorum esse in quadam relatione rationis transcendentali ad actus, a quibus (saltem concomitantem) derelinquantur, consistat: quia tamen nullus talis actus est proprie comparatiuus vnius obiecti cum alio: ideo non proprie entia rationis relatiua, sed absolute nuncupantur: & si ab actibus intellectus denominationem accipiant, primae intentiones obiectiuas: dummodo sint naturae communes; appellabuntur.

3. Nota.

Aliud est ens rationis relatiuum, quod habet esse a potentia proprie operatiua, & proprie comparatiua, ac formaliter discussiuua: & tale dicitur secunda intentio: & est duplex: aliud Logicum, aliud non Logicum: hoc secundum: aliud Grammaticum, cui reducitur Poeticum; aliud Rhetoricum: Logicum, aliud impossibile, & sine fundamento in re, & dicitur negatiuum: aliud possibile, & cum fundamento in re: & hoc est duplex: aliud priuatiuum, seu priuatiuum; aliud positiuum: & hoc adhuc duplex: aliud vniuersale, aliud non vniuersale: hoc secundum, aliud subiectibile, seu particulare, aliud singulare, seu indiuiduum. Vniuersale, seu commune; aliud transcendens, vt ens: aliud limitatum: & hoc est quinquplex: Genus, Differentia, Species, Proprium, & Accidens: nota tamen, quod vniuersale in distribuendo, vt omnis, nullus, &c. reducitur ad intentiones communes, quibus iungitur: & si aliquid aliud ens rationis inuentum fuerit, quod hic non explicetur facillime ad praedicta reducetur.

Secundo notandum: quod sicut existentia entis realis intra suas causas est ipsamet existentia

causarum realiter, & formaliter: ita existentia entis non realis intra suas causas est ipsamet existentia obiecti, quod obijci potest potentiae, quatenus ipsam potentiam mouere potest, & quatenus virtualiter continet speciem causantem potentiam ad ipsum ens rationis terminatam: & sicut existentia entis realis extra suas causas est illa, quae ipsum existit in actu, & in esse distinctio ab esse causarum: sic existentia entis rationis extra suas causas est, quando actualiter dependet a potentia, per quam fit; eiusque notitiam terminat actualiter, quae tantum durat, quantum durat actio ad ipsum notitiam terminata: quia sicut in materiabilibus nunquam quis dicitur percipiens; nisi detur aliquid actualiter percipsum; ita in apprehensibilibus, nunquam potentia dicitur actualiter apprehendens; nisi detur aliquid actualiter apprehensum; & est contra: & sicut de existentia intra, vel extra causas diximus; sic de essentia entis rationis dicendum erit.

1. Corol.

Ex quibus inferitur primo, quod sicut essentias rerum; quia nobis ignotae sunt; per suas proprias passiones explicamus; sic essentiam entis rationis in communi; cum nobis ignota sit; per ordinem ad suam existentiam explicare necesse est: ita vt tale ens rationis sit illud, quod potest habere esse per aliquam potentiam operantem, vel quasi operantem: sicut enim ens reale, in primo distinctione 8. quaest. 4. infra literam F. & quaestione 3. quodlibet. in principio, diffinitur a Doctore: quod sit illud, quod habet esse operatione intellectus seclusa: sic ens rationis iuxta illius mentem modo praedicto notificari potest.

2. Corol.

Inferitur secundo, quod sicut potentia operatiua, per ordinem ad cuius actus sumitur existentia entis rationis, est duplex, alia absoluta, cuius actus tendit in obiectum; quin illud ad aliud comparat: & alia comparatiua, cuius actus vnum comparat ad aliud: & haec, vt patet per Doct. quodlibet. 17. lit. B. adhuc sit duplex: alia proprie, & formaliter, comparatiua; qualis est solus intellectus; alia improprie, & large: quales sunt voluntas, & sensus communis: ita ens rationis aliud est absolutum, vt diximus; aliud relatiuum: & hoc adhuc duplex: aliud proprie, & formale, quod consurgit inter duo entia proprie inter se comparata; & tantum est illud, quod habet esse per actum comparatiuum intellectus: aliud large, quod inter duo entia voluta consurgit: quare secundum Doct. vt supra, sicut non omnis comparatio fit ab intellectu; sic nec omnis relatio rationis; loquendo de relatione rationis large; resultat per actum intellectus, nec per solos actus comparatiuos; sed aliquae sunt, quae nulla comparatione presupponunt; vt relatio cogniti ad cognoscentem; & relatio denominati ad rem denominantem.

1. Conclus.

Dicendum primo, Negari non potest dari de facto entia rationis, & habere existentiam eo modo, quo eam habere possunt. Haec est communis Thomistis, & Scotistis, contra Auctores primae sententiae: probatur primo ex Arist. multis in locis maxime 5. Metaph. text. 14. & 4. Metaph. text. 13. diuidente ens, in ens reale, & apprehensionis mensuratur: igitur secundum Arist. datur ens rationis.

Secunda